



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1706

Titulus VIII. De Matrimonio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

TITULUS VIII.

De Matrimonio.

Testimonialis status liberi.

FORMULA I.

SUMMARIUM.

1 Testes super statu libero contrahere volentium debent examinari coram Episcopo, vel Vicario Generali: aliquan-

do tamen etiam coram alio Delegato.
2 Forma examinis Testium præscripta à Sac. Inquisitione potest prætermitti in matrimonio contrahendo à constituto in periculo mortis.
3 Item cum illis, qui absentes à loco originis nullibi Domicilium fixerunt, cum quibus de licentia ejusdem Congreg. dispensatur, & nu. 4.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

Universis, & singulis, ad quos presentes nostre pervenerint, fidem facimus, & attestamus N. . . . de . . . numquam habuisse, neque de presente . . . sed esse in statu libero ad contrahendum matrimonium, prout ex depositionibus testium coram nostro Vicario Generali medio eorum juramento ad præscriptam formam instructionis Sac. Congr. Inquisitionis de Urbe examinerum plenè constat. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **CORAM NOSTRO VIC. GEN.** Testes, qui in Curia Episcopali recipiuntur ad probandum statum liberum juxta instructionem Sac. Congr. Inquisitionis de Urbe, debent examinari coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali. In Diocesi tamen ampla, ne testes, & partes distantes nimium graventur accessu ad Curiam Episcopalem, poterit examen pro Matrimoniis Diocesanorum (nunquam tamen vagorum) alicui idoneo viro delegari, prout ipsa instructio permittit, mandato tamen, quod testium receptorum positiones transmittantur ad Curiam Episcopalem, à qua debet semper expediri attestatio; quæ si subscribatur à Vicario

Generali, tunc in formula dicendum erit—prout ex depositionibus testium coram infra scripto nostro Vic. Generali examinerum plenè constat. Si verò coram Episcopo fuerint examinati, dicitur—prout ex depositionibus coram Nobis examinerum.

2. **AD PRÆSCRIPTAM FORMAM.** Forma in instructione præscripta posset prætermitti, quando quis constitutus in articulo mortis, vel alio simili periculo, & accidenti, ut exeat à peccato vellet contrahere matrimonium: sed si periculum evaderet, vel ab infirmitate convalesceret, eadem diligentie, antequam ad copulam, & cohabitationem deveniatur, adimplendæ essent, prout eadem Sac. Congregatio S. Officii respondit in Neapolitana de anno 1638. cujus Epistolam per exten-

tensum refert Corrad. *part. disp. lib. 7. cap. 6. num. 23.*

3. Neque servatur instructio cum illis, qui absentes à loco originis, nullibi domicilium fixerunt, sive quia per Italiam manu, & labore victum quærentes modò huc, modò illuc moram traxerunt: sive quia per Galliam, vel Hispaniam vagantes diu abfuerunt. Hi etenim ad Patriam reversi si uxorum ducere velint, & de illorum statu libero, neque fidem Ordinariorum, nec testes afferre valeant; recursum habere solent ad eandem Sac. Congreg. Inquisitionis, quæ attendit facti expositionem, & morali impossibilitate certam status fidem habendi, preces Ordinariorum locorum remittit cum facultate, ut

possint (comminata prius contrahere volentibus pœna treremium irremissibiliter infligenda in casu, quo ipsos alibi habere Uxores, vel Viros detegatur præstatoque per eisdem juramento ad Sancta Dei Evangelia se se esse liberos ad contrahendum) ad celebrationem matrimonii devenire, ut non semel mihi accidit tempore, quo munere Vicariatus fungebatur.

4. Verum est tamen, quòd non semper Sac. Congr. S. Officii pro hujusmodi vagantibus talem facultatem concedit, sed arbitrò regulato à qualitate personæ, diuturnitate vagationis, & aliis facti circumstantiis, vel indulget, vel denegat, vel rescribit, quòd probent statum liberum eo modo, quo meliori potest probari.

Alia pro absente.

F O R M U L A II.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

UNiversis, & singulis, ad quos præsentis nostræ pervenerint, fidem facimus, & attestamur N. de mense (vel anno) discessisse, & se absentasse ab hac Civitate (vel Diocesi) in statu libero ad contrahendum matrimonium, & antè dictum ejus discessum numquam habuisse prout ex depositionibus testium coram Nobis (vel Vicario nostro Generali) medio eorum juramento ad præscriptam formam instructionis Sac. Congr. Inquisitionis de Urbe examinatorum plenè constat. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus (seu Vicarius Generalis N.)

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

Alia pro extero.

F O R M U L A III.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

UNiversis, & singulis, ad quos præsentis nostræ pervenerint, fidem facimus, & attestamur N. à in commorantem, per dictum temporis spatium numquam duxisse sed permansisse, & permanere in statu libero ad contrahendum matrimonium, prout ex depositionibus testium coram

coram Nobis. (vel Vicario nostro Generali) eorum medio juramento ad præscriptam formam Instructionis Sacræ Congreg. Inquisitionis de Urbe examinatorum plenè constat. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus (seu Vic. Gen.) N.

Loco. ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

Decreti Dispensationis datæ vigore Brevis Apostolici.

F O R M U L A I V.

S U M M A R I U M.

Traditur praxis absolvendi ab incestu virtute Brevis Apostolici adnot. n. 1. & 2.

N. Vic. Gen. N. & ad infra-scripta Delegatus Apostolicus.

U Niverfis, & singulis præsentibus inspecturis notum facimus, atque testamur, qualiter nuper coram Nobis pro parte N. loci N. hujus Diœcesis, exhibitæ, & præsentatæ fuerunt litteræ Apostolicæ in carta pergamena scriptæ plumbeo pendente sigillo ad cordulam fili canapis more Romanæ Curia, non vitiatæ, non cancellatæ, non abrasæ, neque in aliqua ipsarum parte suspectæ, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, quas cum omni qua decuit reverentia recepimus, tenoris sequentis videlicet. *(Et hic inseratur tenor, quando litteræ originales non remanent in actis)* Post quarum quidem litterarum præsentationem, & receptionem, fuimus pro parte d. N. cum instantia requisiti, quatenus ad executionem earundem, ac in eis contentorum procedere deberemus. Nosque attenta, servataque illarum forma, mandavimus de in illis expositis capiendam esse diligentem, & summariam informationem, per quam reperimus prædictos N. & N. se tertio, & quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, dictamque N. propter hoc minimè raptam fuisse, omniaque in dictis litteris exposita, & narrata fuisse, & esse vera, ac veritate fulciri. Ideirco in primis eisdem N. & N. *ab invicem separavimus*, eisdemque *pœnitentiam publicam injunximus*, dictusque N. operam suam fabricæ Ecclesiæ N. tribus mensibus contulit, ab eisque *juramentum recepimus*, quod sub spe facilius habendæ hujusmodi dispensationis à Summo Pontifice incestum supra expressum non commiserunt, ipsos in utroque foro absolvimus, & aliam *pœnitentiam salutarem* ipsis imposuimus & cum prædictis N. & N. ut matrimonium inter se publicè, servata forma Concilii Trident. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate Nobis concessa, & qua in hac parte fungimur, impedimento quarti consanguinitatis gradu hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, quæ idem Sanctissimus D. N. in prædictis suis litteris voluit non obstare, dispensandum duximus, prout præsentium tenore dispensamus, distantiam verò tertii gradus prædicti eis non obstare declaramus. Prolem susceptam si qua sit, & suscipiendam exindè legitimam.

timam decernendo. Et in fidem premissorum omnium presentes manu nostra subscripsimus, & per Cancellarium Curie expediri iussimus. Datum &c.
N. Vic. Generalis N. Delegatus, & Executor Apostolicus.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

I. **A**B INVICEM SEPARAVIMUS. Facta litterarum Apostolicarum production, & verificatis per depositiones testium formiter inductorum, & super Capitulis examinatorum, expositis, & contentis in dictis litteris, solet in praxi prævia Oratorum instantia, & per eos petita in actis venia, fieri Decretum, quod N. & N. separentur ab invicem, & in diversis Domibus habitent ejus arbitrio, & quod in die festivo de præcepto, & tempore, quo Missa solemnis Parochialis celebratur, ambo manere debeant ante fores dictæ Ecclesiæ flexis genibus cum candelis in manibus accensis à principio usque ad finem Missæ. Viro autem injungitur ulterius, ut per tres,

vel quatuor menses alicui Ecclesiæ, seu loco pio inserviat: doctoque in actus de adimplemento, Vicarius secundo suo Decreto eos ab incestu, & excessibus absolvi committit alicui probo, & experto Confessario cum facultate, ut recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius obtinendi dispensationem incestum non commiserint, & imposita eis pro modo culpæ poenitentia salutari, in utroque foro absolvat.

2. Exhibita postmodum fide Confessarii delegati, quod juramentum prædictum præstiterint, & absolutionem eis fuerit elargitus; tunc Vicarius, si sibi expediens videatur, & scandala exindè evenire non posse non dubitet, procedit ad absolutionem, prout in formula exprimitur, quam tradit Corrad. *prax. disp. lib. 8. cap. 6. n. 8.*

Alia dictæ Absolutionis.

F O R M U L A V.

QUI Reverendissimus D. Vic. Generalis N. Delegatus Apostolicus sedens &c. visis, & benè consideratis litteris Apostolicis, testium depositionibus, formiter examinatorum, ex quibus constat d. N. raptam non fuisse, nec aliquod scandalum ex dispensatione oriturum, aliisque juribus pro verificatione expositorum, & adimplemento Decretorum D.S. Reverendissimæ, visisque videndis, & consideratis considerandis, Christi nomine invocato.

Dixit, pronunciavit, declaravit, & diffinitivè sententiavit preces N. & N. in præfatis litteris Apostolicis contentas, & eorum nomine Sanctissimo D. N. Pape N. præsentatas, veras extitisse, & existere, veritatique niti repertas fuisse, nec non per eosdem omnia, & singula ad tenorem earundem litterarum adimplenda sufficienter, prout illis fuerunt injuncta, adimpleta fuisse, ac propterea fore, & esse dispensandos, prout auctoritate Apostolica dispensavit, & pro dispensatis haberi voluit, & mandavit; ita ut impedimento tertii sanguinitatis gradus hujusmodi quo invicem sunt conjuncti, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemniter celebrare, & postmodum in eo remanere liberè, & licitè valeant, prolemque susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam decernendo, & ita dixit, & diffinitivè sententiavit omni &c. Datum &c.

Ita pronunciavi Ego N. Vic. Gen. Delegatus, & Executor Apostolicus.

N. Cancellarius Episcopalis.

Licen-

Licentiæ celebrandi Matrimonium
cum dispensatione super
Denunciacionibus.

FORMULA VI.

SUMMARIUM.

1 Episcopus an possit dispensare super
denunciacionibus matrimonii, ut

feri possit diebus ferialibus, in
quibus adest concursus populi, re-
feruntur sententiæ D. D. & num. 2.
3 Solus Episcopus Diocesanus super de-
nunciacionibus matrimonii dispensat,
non autem alii Prelati inferiores,
qui jurisdictionem quasi Episcopalem
exercent jure speciali.
4 Vicarius Generalis ex sola generali
delegatione dispensat, etiam tem-
pore adventus.

Tibi N. Parocho Ecclesiæ N. ut in matrimonium per verba de presenti serva-
to ritu Sanctæ Matris Ecclesiæ, & forma à Sac. Concil. Trid. præscripta,
quamvis tantum unica Denunciatio præcesserit, N. & N. in matrimonium con-
jungere valeas facultatem concedimus: injuncta tamen per te contrahentibus
prohibitione in simul cohabitandi, & matrimonium consumandi, donec duobus
continuis festivis diebus subsequenter (etiamsi tempore Adventus) Denun-
ciaciones factæ non fuerint, & nullum aliud ad contrahendum detegatur impe-
dimentum: quoniam justis de causis dispensandum censuimus, prout dispen-
samus. Datum &c.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1 **FESTIVIS DIEBUS.** Ex præ-
scripto Sac. Concil. Trid. De-
nunciaciones Matrimonii contrahendi fie-
ri debent festivis diebus. At si aliqua ni-
mis rationabilis causa judicio Episcopi
concurreret, posset ipse dispensare, ut
omnes, seu illarum aliqua fieret in die-
bus ferialibus, in quibus pro aliqua occa-
sione adest concursus populi, ut tenent
Barbos. de offic. Episc. alleg. 32. n. 14. Bona-
cin. de Matrim. punct. 6. num. 18. & 19. Cor-
rad. prax. dispens. lib. 7. cap. 7. num. 16. ubi
ex textu Concilii rationem reddit.

2. Sed Nicol. lucubr. civil. lib. 1. tit. 10.
de Nupt. n. 63. putat, quod sententia quæ
negat Episcopum posse in hoc dispensare,
sit tutior ubi non adfit consuetudo, &
hanc partem negativam secutam fuisse
Sac. Congr. Concil. testatur Pignatell. con-
sult. 133. n. 90. tom. 9.

3. **DISPENSANDUM CENSUIMUS.**

Solus Episcopus Diocesanus super de-
nunciacionibus matrimonii dispensat, non
autem alii Prelati inferiores jurisdictionem
quasi Episcopalem habentes de jure
speciali, ut latè probat Fagnan. in cap.
cum inhibito à num. 6. usque ad fin. de clau-
dest. despons. & in cap. accedentibus nu. 26.
de excess. Prælat. quod est contra Barbos. de
offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 30. 31. & 32.
& Tambur. de jur. Abb. tom. 2. disp. 8. qu. 4.
num. 2.

4. An autem possit hoc facere Vicarius
Generalis, ex sola generali delegatione,
absque alia speciali Episcopi, affirmant
DD. relati per Sanch. de matr. lib. 3. disp.
7. nu. 10. & à Barbos. ubi supra num. 29.
quos sequitur Pac. Jord. tom. 1. lib. 3. tit. 7.
num. 7. & hæc sententia in praxi servatur,
& servavi, quamvis Garz. de benef. par. 5.
cap. 8. n. 61. referat à Sac. Congr. Concilii
contrarium fuisse decisum, & dari potest
etiam de tempore Adventus, Barbos. dec.
Apostol. collect. 247. n. 2.

Licen-

Licentiæ contrahendi Matrimonium ejus, qui fuit
absens, vel est forensis.

F O R M U L A V I I

S U M M A R I U M.

- 1 Parochus de jure potest suos Parochianos matrimonio conjungere absque licentia Episcopi, nisi fuerint à Diœcesi absentes.
- 2 Tempus diuturnum absentiae ad hunc effectum dicitur quinque, vel sex mensium.
- 3 Parochus, qui diu absentes à Diœcesi contra prohibitionem Episcopi matrimonio conjungit, graviter peccat, & punitur.

Tibi N. Parocho Ecclesiæ N. Ut in Matrimonium per verba de præsentem in faciem Ecclesiæ, factis prius in tribus diebus festivis interpelatis Denunciationibus, ac in reliquis servata forma præscripta à Sac. Concil. Trid. N. & N. nullo alio detecto impedimento, quàm præteritæ absentiae, d. N. conjungere possis, facultatem concedimus, quoniam d. N. Nobis constare fecit se extra nostram Diœcesim mansisse liberum ad contrahendum (si verò sit forensis) quoniam de ejus statu libero ad contrahendum Matrimonium per attestationem proprii Ordinarii Nobis constare fecit. Datum &c.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

- 1 **A**BSENTIÆ. Parochus de jure potest suos Parochianos Matrimonio conjungere servata forma Concilii absque alia licentia Episcopi, Guttier. de Matrim. cap. 60. n. 1. Nicol. in floscul. verb. Matrimonium n. 5. Attamen si Parochiani diù à Parochia, & Diœcesi fuerint absentes, rectè potest Episcopus Parocho prohibere, ne illos ad Patriam reversos admittat absque sua licentia, cum potuerint alibi contrahere, Guttier. de Matr. cap. 65. n. 7. Barb. in Summ. decis. Apostolic. collect. 554. num. 5.
2. Quale autem dicatur tempus notabile absentiae, ut possit hoc prohiberi, nulli præfinitum reperitur, sed Episcopus juxta personarum, & causæ absentiae qualitatem, illud discretè, & prudenter definit, ad tradita per Menoch. de arbitr. jud. lib. 2. cas. 6. num. 13. Regulariter au-

tem, qui per quinque, vel sex menses continuos à Diœcesi, & in longinquis absentes fuerunt, dici poterunt eos diu extra illam moram traxisse, ad effectum, ut arceri possint à Matrimonio, donec constet mansisse liberos: sic judicant Synodus Farsensis de anno 1686. & Cæsaten. de anno 1595. in lucem editæ.

3. **FACULTATEM CONCEDIMVS**. Si Parochus sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, illos, qui à Diœcesi per dictum notabile temporis spatium absentes fuerunt, non obstante prohibitione, in Matrimonium conjungeret, graviter peccaret, & severè posset puniri, ut advertit Pac. Jord. tom. 1. lib. 3. tit. 7. num. 99, & 177.

Licen-

Licentiæ contrahendi temporibus prohibitis.

FORMULA VIII.

SUMMARIUM.

- 1 Privata traductio Sponsæ ad Domum Viri temporibus à jure prohibitis de licentia Ordinarii non est prohibita, neque interdicta, & reprobatur opinio Fagnani.
- 2 Sponsi ut ab actu conjugali abstineant

- dictis temporibus est consilii non præcepti.
- 3 Episcopus ex urgenti causa dispensat, ut temporibus ab Ecclesia prohibitis fiant nuptiæ cum solemnitate.
 - 4 Debet tamen in hoc esse rigidus.
 - 5 Enumerantur causæ, ob quas Episcopus potest dispensare, ut Matrimonia contrahantur tempore ab Ecclesia prohibito, & n. 6.
 - 7 Temporibus ab Ecclesia prohibitis sine licentia, & dispensatione Episcopi non possunt contrahi licitè Matrimonia, & refellitur Nicol.

Tibi N. Parocho Ecclesiæ N. ut in Matrimonium per verba de præsentia in facie Ecclesiæ, præmissis in tribus diebus festivis interpolatis Denunciationibus (vel unica) ac servata in reliquis forma præscripta à Sac. Concil. Trid. N. & N. nullo detecto ad contrahendum impedimento, absque tamen personarum comitiva, ommissaque omninò benedictione nuptiali, nec non solemnè traductioe Sponsæ, convivii, & aliis vanæ letitiæ signis, conjungere possis, non obstante tempore currenti Adventus (sivè Quadragesimæ) justis de causis facultatem concedimus, & dispensamus.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

- 1 **SOLEMNI TRADUCTIONE.** Privata traductio Sponsæ ad Domum Viri temporibus à jure prohibitis de licentia Ordinarii non est prohibita, neque interdicta: Quicquid enim in contrarium dicat Fagnan. (alioquin doctissimus) in cap. Cappellanus n. 10. & 11. de Feriis, ejus opinio communiter jure novo Concilii rejicitur, ut videre est apud Ricc. prax. For. Eccles. par. 4. resol. 566. num. 2. Bonac. de imped. Matrim. q. 3. punct. 14. n. 4. Gavant. Manual. Episcop. verb. matrim. celebratio n. 14. Barb. de offic. & Potestat. Episc. alleg. 32. n. 194. & supra Concil. de Reform. matrim. cap. 10. num. 6. Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 7. n. 12. Ponc. eodem tract. lib. 6. cap. 8. num. 8. Biss. Hierurg. litt. T. num. 27. & alios quos contra Fagnan. congerit Pignatell. consult. 47. per tot. tom. 6.
2. Et ratio conclusionisea est, quia ut

Sponsi eo tempore ab actu conjugali abstineant jure novo Concilii (quicquid esset dicendum inspecta censura antiquorum Canonum) non est præcepti, sed tantum consilii, ut præter mox allegatos, tenet novissimè doctus modernus Zeger Bernard. Van. Espen. in tract. de jur. Eccles. univers. par. 2. tit. 13. num. 16. tom. 1.

3. **CONVIVIIS.** An Episcopus possit dispensare, ut temporibus ab Ecclesia prohibitis fiant nuptiæ cum solemnitate, & cum Sponsorum benedictione? affirmativam tenent Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 85. n. 29. Ponc. de matrim. loco supra citato n. 11. Biss. Hierurg. par. 1. litt. B. num. 72. §. 1. quoties tamen concurrat urgens causa, quæ raro eveniet.

4. **JUSTIS DE CAUSIS.** Episcopus debet esse rigidus in dispensando, præsertim in illis Regionibus, ubi adest consuetudo Matrimonia non contrahendi: Quia cum ipse sit Sac. Canonum

num Magister, & Custos, c. Cum scimus 9. *quæst.* 3. Idcirco à regulis eorumdem non debet præsumptione discedere, ut inquit *Text. in cap. igitur 25. quæst.* 2.

5. Causæ autem iustæ, ob quas temporibus ab Ecclesia vetitis poterit concedere Matrimonia contrahi omnia benedictæ onne, eadem sunt, quæ in remittendis denunciationibus concurrere debent, videlicet. Primò, quoties probabiliter suspicatur Matrimonia indebitè, ac malitiosè fore impedienda. Secundò, quando Magnates volunt contrahere. Tertio, quando Parentes, Tutores, vel Curatores viris indignis, & longè disparibus copulare virgines niterentur. Quarto, si Matrimonium esset contrahendum in articulo mortis cum Concubina ad legitimandam prolem, vel ad securiorem infirmi transitum. Quintò, ubi contrahere volentes diù habitum fuissent pro Coniugibus, & ad evitandam erubescensiam, & infamiam cupiunt Matrimonio vero coniungi. Sextò, si Concubina, vel alia publica Meretrix esset ducenda in Uxorem, ut absque mora desistant à peccato, & ad evitandum periculum mutationis voluntatis. Septimò, ad evitanda scandala ob aliquas factiones, & inimicitias, quæ propter Matrimonium sopiri speraretur, Octavò, quoties contrahere volentibus, ex dilatione aliquod notabile damnum, vel incommodum tam corporis, quàm bonorum immineret.

6. His, inquam, & similibus casibus, quos sparsim apud Auctores supra allegatos reperies, & præsertim Corrad. *prax. dispens. lib. 7. cap. 7. nu. 23.* Pac. *Jord. de Matrim. n. 51.* iustam habebit Ordinarius dispensandi causam in uno tantum, vel in utroque simul.

Tibi N. Parocho Ecclesiæ N. ut in Matrimonium per verba de presenti in facie Ecclesiæ, præmissis in tribus diebus festivis interpolatis denunciationibus, ac servata in reliquis forma præscripta à Sac. Concil. Trid. N. & N. nullo alio detecto ad contrahendum impedimento, quàm tertio, & quarto consanguinitatis gradu, quo invicem sunt conjuncti, super quo dispensationem Apostolicam obtinuerunt, conjungere possis, licentiam, & facultatem concedimus. Quoniam verificatis coram Nobis expositis in dicta dispensatione, illam exequi volumus, & mandamus. Datum &c.

N. Episcopus N.

7. **FACULTATEM CONCE-
DIMUS.** Quamvis Nicol. *lucubr. Civil. lib. 1. tit. 10. de nuptiis num. 72.* nimis fidenter asserat, Matrimonium quolibet tempore contrahi, & consumari posse absque alia Superioris licentia, ex eo quia id concedatur, à *Rituale Romano rubr. de Sacram. Matrim.* eumque avium more, & cum laude sequatur Pignatell. *dicta consult. 47. n. 17. circa fin. tom. 6.* Nihilominus hæc Nicolii absoluta propositio debet intelligi quoad validitatem; non autem quod licitè quocumque tempore etiam ab Ecclesia interdicto contrahi possit. Matrimonium sine licentia Episcopi, prout interpretando *Text. in c. Cappellanus de Ferriis*, advertit Sayr. *de Censur. lib. 3. cap. 7. num. 43. & 44.* Bifs. *Hierurg. litt. V. n. 41. §. primo*, & communiter docent *suprà citati in §. Privata traductio*, qui omnes exigunt Ordinarii licentiam ad hoc, ut Parochus, & contrahentes culpam, & pœnam arbitrariam evadant.

Licentiæ contrahendi inter dispensatos à Papa.

FORMULA IX.

SUMMARIUM.

- 1 *Unici Testis depositio non sufficit ad dividendum contractum sed impedit Matrimonium contrahendum.*
- 2 *Non est sufficiens, neque ad impediendum non contractum, si Testis non sit integer, & patiatur exceptiones, & num. 3.*

N. Cancellarius Episcopalis.

AD-

ADNOTATIONES.

1 **N**ULLO ALIO DETECTO IMPEDIMENTO. Quæstio est inter DD. an impedimentum ad contrahendum dicatur detectum, & probatum unico Teste? & sic solent illam distinctione dirimere: Si agatur de Matrimonio jam contracto, unicus Testis non sufficit, sed requiritur ad illud dirimendum plena probatio, Panimoll. *decis. 19. adnot. 3. num. 16. & seqq.* ubi dat concordantes: Si verò agatur de contrahendo, & tunc dictum unius Testis sufficit ad illud impediendum, quamvis dicat turpitudinem propriam, *Glof. in cap. Extraordinaria 35. q. 3. vers. Sacramenti, & cap. super eo il 2. de Test. & cap. præterea il 2. de Sponsal. Ciarlin. controuv. 235. per tot.*

2. Verùm ab hac distinctione aliquando receditur, puta si Testis, qui super impedimento Matrimonii contrahendi denunciavit, non sit bonæ famæ, aut non integer, vel alio modo suspectus, utpotè quia non moveatur ad denunciandum impedimentum ad exonerandam conscientiam, sed se ingerat in causa, quia sibi displiceat matrimonium; vel si demùm varia, & inverisimilia deponeret: Tunc enim non obstante, quod ageretur de contrahendo, proceditur ad ulteriora, illius depositione non attendita, *Tondut. quæst. Benefic. tom. 2. part. 3. cap. 165. n. 5. & seqq.* ubi de testimonio filii, qui deposuerat rem habuisse cum Sponsa, quam Pater in Uxorem ducere volebat.

3. Et hanc limitationem sæpè probavit *Sacr. Congreg. Concilii*, nempe *in Pisauren. 12. Novembris 1689. in Melevitana 22. Septembris 1691. in Salisburgen. matrimonii 22. Septembris 1696.* in qua dicit casus *Tondut. & in Baren. seu Modunen. matrimonii 9. Aprilis 1701.* in quibus unicus Testis (exceptiones patientis) depositio, non valuit Matrimonium contrahendum impedire.

Licentiæ contrahendi, non obstante præcedentium Sponsalium alterius oppositione.

FORMULA X.

SUMMARIUM.

- 1** Modus procedendo quando ad impediendum matrimonium opponuntur Sponsalia cum alia Puella celebrata.
- 2** Enumerantur casus, in quibus licitè à Sponsalibus receditur, & num. 3. 4. 5. & 6.
- 7** Vxor provec̃tæ ætatis transiente Viro de consensu ad Religionem, potest in sæculo remanere voto continentie emisso.
- 8** Propter adulterium potest Conjux innocens ad Religionem transire.
- 9** Episcopus in impedimento dirimente matrimonium dispensat in foro conscientie tantum, quando impedimentum non est publicè detectum post jam contractum matrimonium, & ob distantiam loci magnum daretur periculum incontinentie, vitæ, vel scandalii.
- 10** Puella stuprata non potest in vitis Parentibus doti de jure debitæ à stupratore renunciare.
Ex stupro duplex oritur actio, *ibid.*
Stuprator ducens in Vxorem stupratam non debet alia poena puniri, *ibid.*
- 11** Impedimentum publicæ honestatis oritur ex diffamatione Sponsalium.
- 12** Matrimonium contractum à Græco Latino coram Sacerdote Græco est nullum.
- 13** Matrimonia contracta coram Cappellani Exercitus sunt nulla sine licentiâ Parochi, vel dispensatione Apostolica.
- 14** Matrimonium contractum coram Sacerdote non Parocho, qui asserit licentiâ ab eodem habuisse, habet præ-

præsumptionem validitatis, donec contrarium probetur.

15 *Matrimonium contractum à Catholicis coram Ministro Hæretico est nullum.*

16 *Matrimonia sine Dote non contrahuntur.*

17 *Matrimonium à principio nullum propter metum, etiam sequuta copula est nullum.*

18 *Puellarum expositarum Matrimonia, adhuc in conservatoriis degentium, debent coram proprio Parocho contrahi.*

Tibi N. Parocho Ecclesiæ N. ut in Matrimonium per verba de præsentis in facie Ecclesiæ factis prius in tribus diebus festivis interpolatis denunciationibus, ac in reliquis servata forma præscripta à Sac. Concil. Trid. N. & N. nullo alio detecto impedimento ad contrahendum, quàm assertorum Sponsalium cum N. conjungere possis, facultatem concedimus; quoniam *opposita Sponsalia* per d. N. non obstare censemus. Datum &c.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

OPPPOSITA SPONSALIA. Sæpè ad retardandam Matrimonii celebrationem opponuntur Sponsalia cum altera Puella contracta: Undè Episcopus casu eveniente, si ex justa causa ab illis ex parte Viri, vel Mulieris recedatur, vel sufficienter non probentur, prævio Decreto judiciali super irrelevantia oppositionis, procedat ad concessionem licentiæ pro Matrimonio contrahendo, nisi forte pars opponens ad Sacram Congregationem, vel alium Superiorem non apellet; quia tunc erit superfedendum.

2 NON OBSTARE. Plures dantur casus, in quibus Sponsalia præcedentia cum aliis contracta non obstant Matrimonio contrahendo cum alio, vel alia. Et primò, quando non probantur per subscriptionem Apocæ, vel saltem duobus Testibus, qui deponant de promissione Sponsi ducendi Sponsam in uxorem, cum successiva fidei datione, & acceptatione Sponsæ, cum mutua futuri Matrimonii repromissione, juxta modum probandi traditum à Rot. coram Coccin. dec. 1834. num. 1. & coram Cels. decis. 374. nu. 3. Sperell. decis. 95. n. 9.

3 Secundò, qui promisit Sponsalia de futuro recedit ex justa causa, puta quia

Monacelli Form. Pars I.

Sponsa passa est ab alio carnaliter cognosci; quia alter eorum incidit in lepram, in morbum Gallicum, vel gravem infirmitatem, aut amisit oculum vel nasum: Si Sponsa ea pulchra evasit deformis, aut pauper, ejusque Parentes Dotem illi dare recuset, quamvis non promissam: Si aliqua notabilis mutatio post Sponsalia supervenit, aut incipit apparere, quæ si cognita fuisset tempore Sponsalium, judicio prudentis, Sponsalia non fuissent celebrata: Si Sponsus post Sponsalia damnatus fuisset de aliquo crimine turpi; quas causas, & alias plures enumerant Sanchez de Matr. lib. 1. disp. 57. 60. & seqq. Guttierrez. eodem tract. c. 33. per tot. Bonac. de matr. tit. de Sponsal. punct. 8. per tot. Ricc. prax. For. Eccl. p. 1. resol. 218. Sac. Congr. Concil. in Spoletana 22. Februar. 1698. in qua post Sponsalia contracta, Sponsa effecta fuerat clauda.

4 Tertio, quando, qui Sponsalia contraxerant, vovit castitatem, vel suscipere Sacros Ordines, quia tunc per electionem melioris status Sponsalia irritantur, nec Sponsus tenetur illa exequi, quamvis juramento essent firmata, Sac. Congreg. Concilii in Barbeigen. Sponsalium 5. Martii 1701. quod verum putat Bonacin. de matrim. tit. de Sponsal. punct. 5. nu. 13. 14. 15. & 16. etiamsi postea Voti dispensatio obtineatur.

R

5. Quar-

5. Quartò, quando promissio Sponsalium non jurata est facta personæ, cum qua adest notabilis disparitas conditionis, tunc enim promissor non cogitur ad contrahendum matrimonium, ut dixit Rot. coram Dunoz. Jun. *decis.* 296. num. 7. 8. & 9. Quam propositionem veram putat Graff. *decis. aur. par. 2. lib. 1. cap. 12. num. 53.* etiam si intercedat copula cum aliquo signo fraudis, quia tunc (Author putat) sola obligatio dotandi remanet.

6. Quintò dissolvuntur Sponsalia, imro & matrimonium ratum, & consummatum, quando Jugales de communi consensu ambo ad statum celibatus eodem tempore volunt transire, nempe mulier, ut professionem emittat in Monasterio, & Vir Ordinem Sacrum suscipiat, quia tunc Deus, & non homo separatur, *c. quia Agatho, & c. scripsi 27. q. 2. Fagnan. in c. Cum sis de convec. Conjug. Sacr. Congr. Episc. in Januen. 1. Septembr. 1690.*

7. Talique casu, si uxor esset provectæ ætatis, puta 60. annorum, & suspicione incontinentiæ careret, Voto continentiæ emissio indulgetur quoque quod possit in sæculo remanere, ut patet ex Decretis allegatis à Nicol. *lucubr. Civil. tit. 10. de nupt. num. 49.*

8. Item solvitur matrimonium, quando alter ex conjugibus adulteratus fuit, *cap. Constitutus de controvers. conjug. quod est verum dummodò post adulterium commissum, Vir Uxorem iterùm non cognoverit, ut ibi cum Glos. observat Nicol. lucubr. can. lib. 3. tit. 32. fol. mihi 169.* tunc enim poterit Vir ad Religionem, vel Sacros Ordines transire, non tamen aliud matrimonium contrahere, *Marc. 10. Luc. 16. ad Cor. 1. cap. 7.*

9. Et hic nota, quod Episcopus in impedimento dirimente matrimonium dispensat in foro conscientiæ tantùm, quando impedimentum non est publicè detectum post jam contractum matrimonium, & ob distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiæ, vitæ, vel scandali, *Garz. de Benefic. par. 11. cap. 5. num. 341. & 342. Barbof. alleg. 33. nu. 4. Fagnan. in cap. Nimis num. 33. & 37. de fil. Presbyt. Sacr. Congreg. Concil. in Egita-tien. 19. Aprilis 1692. ad quintum.*

10. Secundo nota, quod, si stuprator nolit stupratam ducere in uxorem, hæc non potest invitis parentibus Doti de jure debitæ renunciare, *Farinac. quest. 147. num. 117. Monach. decis. Bononien. 41. n. 6. Raynald. observ. crim. tom. 2. c. 23. n. 191. & 192. ubi rejectio Pirhing. in jus Can. tit. de adult. sect. 2. §. 3. n. 52.* dicit hanc in foro externo esse versorem sententiam. Inmò præter dotem, quam stuprator illi constituere tenetur, *c. 2. de adulter.* poterit etiam alia pœna (levi tamen) puniri; quia ex hoc delicto duplex oritur actio, una ad pœnam, & alia ad privatum commodum partis, ut dicunt DD. mox citati: Nisi tamen stupratam duceret in uxorem, quia tunc non esset alia pœna mulctandus, *Rot. in Avenionen. Dotationis 30. Aprilis 1688. cor. Benincasa, impressa post Raynald. loc. cit. num. 10. & seqq.*

11. Tertiò, quod impedimentum publicæ honestatis oritur, & contrahitur ex diffamatione sponsalium, licet concludenter non probentur, ut censuit S. Congregat. *Concilti*, causa bis auditis partibus proposita, *in Ripana sponsalium 7. Junii, & 20. Septembris 1698.*

12. Quartò, quod matrimonium contractum à Græco latino Catholico coram Sacerdote Græco non Parocho, non sustinetur, *Sacr. Congr. Concil. in Chien. Matrimonii 14. Novembr. 1693.*

13. Quintò, quod matrimonia contracta coram Cappellanis Exercitus à Militibus degentibus in Castris, & stationibus hybernis, vel æstivis, aut in expeditione etiam cum militaribus fœminis sine licentia Ordinarii loci, vel sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, nulla sunt, ut dubio proposito respondit *Sac. Congr. Concilii 6. Martii 1694.*

14. Sextò, quod matrimonium contractum coram Sacerdote, qui asserit habuisse licentiam à Parocho, vel Episcopo, habet præsumptionem validitatis, quia donec contrarium probetur, assertioni Presbyteri standum est, *Piasec. prax. Episcop. part. 2. cap. 6. art. 4. de matrim. nu. 15. Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 37. nu. 5.* ubi opiniones, & DD. sententiæ pugnantes sic conciliat -- *Sed placet concordia Maschardi conclus. 985. ubi alia ad*

ad hoc affert , & num . 3 . resolvit , si contra licentiam opponatur à tertio , ipsi incumbere probare , si verò à proprio Parocho , transferri onus probandi in alienum Sacerdotem , & ipsos contrahentes .

15 Septimò , quod matrimonium contractum a Viro Catholico cum muliere pariter Catholica coram Ministro Aca- tholico est nullum . Quia licet fuerit in- tum in Terris Hæreticorum , adhuc ubi fuit publicatum Concilium Tridentinum , illius forma tradita in cap . i . sess . 24 . de Re- form . ubique servanda est pro validitate , ut pluries declaravit Sac . Congr . Concilii apud Pignatell . consult . 79 . à num . 26 . to . 5 . & nuper in Venetiarum 1 . Decembr . 1696 .

16 Octavò , quod matrimonia ex ge- nerali consuetudine sine Dote non con- trahuntur , Rot . coram Pamphil . dec . 105 . n . 5 . & 6 . Et quod dotis constitutio non exigit scripturam , sed Testibus , immò & conjecturis probatur , Tusch . lit . D . concl . 722 . per tot . Cyriac . contr . 29 . nu . 17 . 18 . & seqq . Card . de Luc . de Dot . discurs . 150 . n . 1 . 2 . & 3 .

17 Nonò , quod matrimonium à prin- cipio metu contractum , licet jure com- muni inspecto per copulam postea liberè , & voluntariè subsecutam , ratificetur , & convalidetur , ut per Glos . in cap . inter cætera 22 . quest . 4 . verbo matrimonium , tenent communiter Graff . decis . aur . part . 2 .

lib . 1 . cap . 12 . num . 36 . & 37 . & alii relati à Panimoll . decis . 102 . adnot . 2 . num . 5 . & 7 . Nihilominus hodiè jure novo Concil . Trident . Matrimonium nulliter à prin- cipio contractum non convalidatur per subsecutam copulam quantumvis liberè habitam , sed requiritur novus consensus in facie Ecclesiæ , prout ex declaratione Sacræ Congregationis firmat Fagnan . in cap . de illis num . 12 . & 13 . de desponsat . impuber .

18 Decimò , quod matrimonia Puef- larum expositarum degentium in conser- vatoriis , seu Hospitalibus , non debent , neque possunt contrahi coram Reçtori- bus , seu Cappellanis eorundem locorum , sed coram proprio Parocho , in cujus Paro- chia sita prædicta loca reperiuntur , cele- branda erunt , ut pluries declaravit Sac . Congreg . Concil . apud Pignatell . consultat . 396 . tom . 1 . & nuper in Suessana 7 . Se- ptemb . 1697 .

Licentiæ contrahendi Domi .

FORMULA XI .

SUMMARIUM .

1 Episcopus jure prohibet , quod matri- monia non celebrentur Domi .

Tibi N . Parocho Ecclesiæ N . ut in matrimonium per verba de præsentì , & servata forma Sac . Concilii Trid . & dummodò factæ fuerint tres publica- tiones in Ecclesia diebus festivis interpolatis , & nullum detectum sit impedi- mentum ad contrahendum , Domi conjungere possis N . & N . licentiam , & facul- tatem concedimus justis de causis . Datum &c .

N . Episcopus N .

N . Cancellarius Episcopalis .

ADNOTATIO .

1 **DOMI CONJungere** . Jam diximus Adnot . ad Formul . E- rect . Ecclesiæ Parochialis , quod matri- monia debent in Ecclesia celebrari , & quod justè Episcopus valet prohibere , ne fiant Domi sine sua licentia , non ob- stantibus his , quæ solent in contrarium

adduci ; tum ex ibidem animadversis ; tum quia ritus accidentales ab Ecclesia præscripti non possunt variari absque cul- pa , ad tradita per Bonacin . de Sacram . in gener . quest . ult . num . 4 . Tum demum quia cum agatur de administratione so- lemni Sacramenti , non potest Paro- chus ad libitum , ritum contemnere , & Domi illud conficere : Ut jam defini- tum .

R 2 tum

tum legimus à Sac. Conc. Trident. sess. 7. de Sacram. in genere Can. 13. ibi -- Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesie Catholice Ritus in Solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris prohibito omitti, aut novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse,

anathema sit: Cum igitur ritus, qui habentur in Rituali Romano, sint ab Ecclesia recepti, & approbati; non video qua ratione nonnulli moderni Authores affirmant, quod Episcopus non possit prohibere, quod Sacramentum Matrimonii non celebretur Domi, sive extrà Ecclesiam sine sua licentia.

TITULUS IX.

De Foro Pœnitentiali.

Facultatis confessiones audiendi.

FORMULA I.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus concedit Confessariis approbationem ad tempus.
- 2 Si concedit cum clausula -- Ad nostrum beneplacitum, potest quantumvis revocare, & num. 3. ubi redditur ratio.
- 4 Confessarii audientes confessiones in Ecclesia Parochiali debent de equitate petere licentiam à Parocho.
- 5 Confessarii, etiamsi Regulares sint suscipientes confessiones infirmorum debent certiorare Parochum.
- 6 Confessarii non debent audire confessiones mulierum, & puerorum extra Sedem confessionalem, vel è conspectu non interposita Crate, sub pœna in Formula expressa.
- 7 Sacramentum pœnitentiæ extrà casum infirmitatis conferri non debet, nisi in Ecclesia, quod facere debent etiam Confessarii Regulares.
- 8 Confessarii quando dicantur sollicitare Pœnitentem ad turpia.
- 9 Pœnitentes tenentur Confessarios sollicitantes denunciare, etiamsi sollicitationi consenserint, alioquin non

possunt absolvi.

- Denunciandus est Sacerdos non Confessarius, qui fingit se esse talem, & ad turpia sollicitat, ibid.
- 10 Confessarius sollicitans potest absolvi ab alio quocumque Confessario.
 - 11 Confessarius executor litterarum Sac. Pœnitentiariæ debet esse Doctor saltem privilegiativè.
 - 12 Confessarius Executor litterarum Pœnitentiariæ debet esse actu approbatus ab Episcopo Diœcesano, in cuius Diœcesi debent exequi.
 - 13 Explicantur clausulæ omnes, quæ continentur in litteris Pœnitentiariæ à n. 4. usque ad num. 104. nempe. Clausulæ communes num. 12. 13. 14. 15. 16. & 17.
 - 18 Quid dicatur occultum, quid publicum, & n. 19.
- Clausulæ litteræ pro dilatione Voti simplicis à n. 21. ad 28.
 Clausulæ litteræ super transgressione Voti castitatis à n. 29. ad 32.
 Clausulæ litteræ commutationis Voti simplicis Religionis à nu. 33. ad 36.
 Clausulæ litteræ commutationis Voti Religionis à n. 37. & 38.
 Clausulæ litteræ commutationi Voti castitati à n. 39. & 43.
 Clausulæ litteræ dispensationis impedimenti occulti affinitatis à nu. 44. ad 52.
 Clausulæ litteræ dispensationis super impe-